



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Sacra Veterum Temporum Uti Et Evangelica, Ac  
Apostolica Historia**

**Steinhart, Franz**

**Ingolstadii, 1734**

**VD18 90104692**

Gedeon, Judex.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62332)

Victoriam secuta est libertas & gratiarum actio, Cantico à prophete celebrato. *Jud. c. 5.*

## Gedeon, Judex.

**R**edierunt sensim ad pristina scelera Israëlita: & ira DEI iterum cervicibus eorum incubuit. Madianitæ cum sociis Amalecitis, Ammonitis & Moabitis ab oriente venientes præliò victis jugum servitutis injecerunt tam durum, ut vastata quovis anno messe, abductisque gregibus atque armentis cogentur miseri in montibus antra quærere & speluncas, quò se suaque reciperent, ne fame perirent. Servitutis acerbitate solitò citiùs post septem statim annos compulsi sunt ad pœnitentiam; nec Dominus auxilium distulit, sed misit mox ad Gedeonem de Tribu Manasse Angelò virum hunc fortissimum excitavit, ut liberaret Israël de manu Madian.

Gedeon ut se Ducem divinitus constitutum coram collecto triginta duorum millium exercitu comprobaret, simulque omnes in spem victoriæ erigeret, vellus in areâ expandit, quod prima nocte solùm rore madebat, totâ circum areâ sicca: alterâ verò area madebat, vellere sicco. Cùm nihilominus multi adhuc ad ingentem hostium numerum trepidarent, monente Domino nolens circa se habere alios, quàm viros fortes, edici per castra jubet, ut quicumque vellent, ad sua redirent, redieruntque viginti duo millia. Hoc delectu necdum contentus reliquos ad aquas duxit, biberéque jussit, aliud fortitudinis experimentum capturus. Qui aquam flexo poplite biberunt, omnes dimisit; manu haustam lambentes retinuit; quorum non plures erant, quàm trecenti, centum triginta quinque millibus hostium opponendi.

Sub noctem trecentis expectare jussis solus Ipse cum famulo castra Madianitarum propiùs explorat; dùmque vigilum stationi aurem admovet, unus alteri somniâsse se narrat, panem hordeaceum sub cinere coctum devolutum in castra Madianitarum irruisse, ac tabernaculum Principis subvertisse, solòque æquasse; quod somnium mox alter pro certa Gedeonis victoria interpretatur. Hïs auditis Gedeon non dubius, & somnium & interpretationem à DEO fuisse profectam, actis de tam fausto

M 2

omine

Ab A. 2729.  
Premuntur à  
Madianitis,  
c. 6. à v. 1.  
ad 36.

Gedeon cum  
paucis in eos  
mover.  
c. 6. à 36. &  
c. 7. à v. 1. ad  
8.

Suos lagenis  
& facibus ar-  
mat. c. 7. à v.  
8.

omine gratiis, reversus in castra manipulum tripartitò dividit, singulisque in dextram manum dat tubam, in sinistram lagenam seu hydriam fictilem, ardente intus face. His armis instructos in hostem ire jubet. Igitur mediâ nocte terni Duces cum suis quisque centuria versùs castra Madianitarum diversis viis silentiò progrediuntur. Ubi ad destinatum locum perventum est, datò à Gedeone signo simul omnes per castrorum ambitum tubis personant, lagenas inter se mutuò complodunt, ac demum horrifico fragore confringunt; productis mox facibus tota castra inimico fulgore perstringentes alternatim nunc tubis ululant, nunc junctis vociferationibus conclamant: *Gladius Domini & Gedeonis, gladius Domini & Gedeonis.*

Et hostes in-  
terneccione  
delet.  
c. 7. à v. 22.  
& c. 8.

Insolita pugnae species usque eò Madianitarum castra turbavit, ut ad primum quidem tubarum ac lagenarum clangorem ad arma cum tumultu procurerent; at incerti, ad quam partem in tanto undique allabente strepitu se primum converterent, suos pro hostibus habentes, obvios quosque invadunt, ac Numinis impulsu mutua se caede conficiunt. Qui fugâ e castris evaserunt, cæsi sunt partim ab Ephraimitis, ac inter eos duo Principes Zeb & Oreb Madianitæ; partim ab iis, qui antea missionem acceperant, partim à Gedeone cum suis ultra Jordanem eos persequente, duobus solis Regibus Zebee & Salmana servatis atque in vincula coniectis: quos tamen postea Gedeon, fratres suos ulturus ab his crudeliter mactatos, sua manu interfecit. Acclamatum est victori communi Israëlis voce: *Dominare nostri tu & filius tuus, & filius filii tui, quia liberasti nos de manu Madian.* Reddita sic patriæ pace Gedeon deinceps habitavit in civitate sua Ephra.

### Abimelech, Judex.

Ab An. 2769.

Abimelech  
septuaginta  
fratres suos  
occidit.  
c. 6.

M Oriens Gedeon reliquit septuaginta filios, quos ex pluribus uxoribus, veluti mos tunc ferebat, genuerat. Præter hos unum habuit Abimelech nomine ex concubina, seu minoris notæ uxore natum, quam amaverat, & sæpius accedere solebat in urbe Sichem. Iste post mortem Patris, stimulante ambitione, ad Judicis dignitatem per septuaginta fratrum cædem gradum facere meditabatur. Venit igitur in Sichem, & per suam Matris